



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi  
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus  
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris  
succinctim complectens**

**Klinge, Konrad**

**Coloniae, 1570**

**VD16 K 1309**

Motiva ad patientiam. tit. 284

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29452**

figuras mutabit, id est, quasi lapides viuant, moriantur, &cæt. Mittet quoque discipulos suos in quatuor partes mundi, & nominabit se Deum, & omnia miracula faciet operatione sathanæ, sicut Magi contra Moyfen fecerunt in Aegypto, Exo. 7.

Tertiò, tribus modis se eriget contra fideles, terrore, muneribus, & miraculis: ijs decipiet sic, quòd etiam electi seducantur, si fieri posset Mat. 24. & tunc iuxta verba Christi, erit tribulatio, qualis non fuerit ab initio mundi. Tunc qui in agro sunt, ad montes confugient, & tunc omnia consummabuntur prædicta à Christo. Matth. 24. Luc. 21. Hæc autem persecutio durabit tribus annis cum dimidio. Nam abbreviabitur tempus eius propter electos, Matt. 24. Tertiò, de tempore aduentus Antichristi dicit Apostolus 2. Thessal. 2. quod quandò venerit discessio, scilicet à Romano imperio. Sicut enim Romanum imperium omnia regna sibi habebat subiecta tempore Augusti, Lucæ 2. sic omnia erunt sibi rebellia, & tunc veniet Antichristus. sic fides Romana & imperium Romanum deficiet, & Antichristus solus regnabit, & extolletur supra omne regnum, & quod dicitur Deus. Nā ipse solus sedebit in templo tanquàm sit Deus. Tunc multi decipientur. Mittentur autem tunc duo Prophetæ, qui prædicabunt contra illum tribus annis cum dimidio, & multi adhærebunt, sed tandèm excandescet persecutio Antichristi, & interficiet illos duos prophetas, deindè cæteros fideles, qui non habuerint characterem eius. Ad vltimum veniet Christus, & interficiet illū spiritu (id est, virtute) oris sui, sicut virtute oris sui & vocis è sepulcris surgent mortui, Ioann. 5. & sic erit finis sæculi, hæc Augustinus de Antichristo.

*MOTIVA AD PA-*  
*tientiam.*

RRr

TITV-



Yprianus serm. 3. de bono patientie?  
Primò, Deus omni hora & die blasphematur, Mali enim homines faciunt eum carnificem seu listorem, ut per execrationem vulnerum, sacramentorum, & elementorum suorum huic vel illi impartiat quævis genera morborum, pestilentiam, morbum Gallicum, &c. Sic nomen Dei quotidie blasphematur. Secundò, omni hora DEI præcepta violantur & contemnantur, horribilia peccata in mundo fiunt ab idololatriis, malis Christianis, Iudæis, Turcis, hæreticis. At Deus habet patientiam, non statim vindicat, sed facit oriri solem suum super bonos & malos, Matt. 5. Cur ergò tu miser homo & peccator nõ etiam habes patientiam in aduersis? si te lupum vocant, cogita, quomodo etiam Deum vocant listorem, id quod multò grauius est: tu enim bene commeruisti peccatis tuis, Deus autem non est peccator. si ergò Deus patientiam habet, & expectat sua bonitate ad patientiam, Román. 2. multò plùs tu debes habere patientiam. Secundò cogita, quomodo habuit patientiam, qui sicut ovis ad occisionem ductus est, & non aperuit os suum, Esai. 53. Cum videretur in veste alba, deriserunt eum, Psalm. 21. Omnes videntes me, deriserunt me, mouentes capita sua, & locuti sunt. item cuius prædicatio atque miracula Sathanæ ascribebantur. Si igitur Christus tantam habuit patientiam, cur tu non etiam crucem tuam vis tollere & patienter portare? si propter vestitum monasticum fueris derisus, si sermonem tuum contemnant, quando Christi sermonem non audiunt, Ioannis, 15. neque audierunt, neque Pauli, neque aliorum Apostolorum, quid si carnales hæretici te etiam derident, prædicationes tuas fugiunt & dicunt, dæmonium habes, Ioan. 8. Matt. 11. patienter feras.

Tertio,

Tertiò, cogita omnes Apostolos, quomodò spreti & abiecti fuerint in mundo, qui tanquàm peripsema reputati sunt, & stulti, ac idiotæ propter Christum, vt dicit Paulus ad Cor. Ac illi gaudentes ibant à cõspetu concilij, pro magno gaudio & pro magna dignitate arbitrâtes, quòd digni esset pro nomine Iesu contumeliam pati, Actor. 5. & Iacob. 1. i. Cor. 4. Omne gaudium existimate, cum in varias tètationes incideritis: Christus prædixit Ioan. 16. Plorabitis & ululabitis in hoc mundo, sed tristitia vestra veretur in gaudium.

Quartiò, cogita omnes sanctos Christi fideles & catholicos, quos tanquàm aurum in fornace probauit Dominus, Eccles. 2. qui omnes patientia sua possiderunt vitam & animas suas, sic Iob probatus est, qui vsq; ad extremum fuit tentatus, Iob. 1. sic Abraham, Gen. 22. Tobias, Abel, Gen. 4. patièter tulit mortem. Sic Moyses fuit patientissimus, quando etiã eum lapidare voluit populus, sic obiecit Stephanus Iudæis, Quem Prophetarum nõ sunt persecuti patres vestri? & Paulus ad Timot. Omnes qui piè volunt viuere in Christo, persecutionem patientur. Et Christus prædicit discipulis suis, quòd veniet tempus, quòd extra synagogas eijcient illos, & quòd qui illos occiderit, arbitrabitur se obsequium præstare Deo. & Matth. 5. Eritis odio omnibus hominib. propter nomen meum. Si ergo hoc prædixit Christus & magnum præmium promittit, cur tu in patientia nõ sustines tribulationem, Mat. 10. Mitto vos sicut oues &c.

Quintò, cogita omnes sanctos Patres & doctores Ecclesiæ catholicæ, quis illorum non est percessus ab hæreticis? Nonne S. Athanasium Arriani, S. Cyprianum Nouatianis, S. Augustinum Donatistæ, S. Hieronymum Vigilantiani, & nunc Lutherani catholicos infestantur, sicut trecenti hæretici turbârunt & exercuerunt ecclesiam, hic cum iterâdo Baptismo, alter eum sacramento figuratiue Eucharistiæ, hic cum

sola fide & reiectione operum bonorum, attamē ipsi cum patientia hoc tulerunt, cogitantes hæc verba, Matth. 5. Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam. Sic hodiè propter vnitatem Ecclesiæ catholici persecutiones tolerant, & deridentur. Si ergo tot sancti & præclari ac docti viri, cum patientia tulerunt tribulationem, quid tu miser peccator, qui indoctus, &cæt. non vis pati etiam cum patientia? Fructus ergo fidei & verbi Dei patientia, Luc. 8. Multi dicunt, inquit Propheta, Non est salus huic in Deo. Tu autem susceptor meus es, gloria mea, & exaltans caput meum, & Psal. 83. Elegi abiectus esse in domo Dei mei, magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum.

Sextò, quoniam non homo aut creatura est in causa, quæ te tentat & persequitur, sed potiùs Deus, qui sic per creaturam hoc agit, sicut dixit Christus Petro, Mat. 26. quandò abscidit auriculam seruo, &c. Calicem, quem dedit mihi pater, &c. aut quoniam Deus permittit propter peccata nostra, quòd sathan sic instigat & mouet tuum aduersarium. Ideo orauit Propheta: Illumina oculos meos, ne obdormiam in morte, ne quandò dicat inimicus meus, Præualui aduersus eum.

Septimò, tu solus non es, qui calumniam pateris, sed tecum tota Ecclesia catholica conuicia patitur, quæ eandem doctrinam & fidem habet, &c. Christus promittit quòd in patientia possidebimus, scilicet vitam nostram, Luc. 21.

CHRISTIANVS CON-  
*tentiosus.*

TITVLVS CCLXXXV.



Postolus 2. Timo. 2. inquit: Seruum Dei non decet litigare, sed mansuetum esse apud omnes. ideo Prouerb. 6. Sex sunt quæ odit Dominus, & septimum detestatur.